MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-10

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HERZOG, CHRISTIAN G.

TITLE:

OBSERVATIONUM PARTICULA XVIII...

PLACE:

GERAE

DATE:

[1846]

Master Negative #

91-80313-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87HD
Z8
v.2

Herzog, Christian Gottlob, 1789-1866.
...Observationum particula XVIII, in qua proponitur nova de Carminis Horat. I, 1. versu paenultimo conjectura. Gerae, ex Typographica aulica, [1846]
8 p. 26½ cm.

At head of title: Ad memoriam Henrici Christophori Schuessleri... d. XXX. m. novembr. a. MDCCCXLVI... pie recolendam observantissime invitat M. Christianvs Gottlob Herzog...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Textcrit
[Horace
Carmina
no. 7
57

AD

MEMORIAM

HENRICI CHRISTOPHORI

SCHUESSLERI

J. U. DOCTORIS REGI POLON. ELECTORI SAXON.
QUONDAM A CONSIL. AUL.

VIRI DE RUTHENEO PRAECLARE MERITI

**D. XXX. M. NOVEMBR. A. MDCCCXLVI.
HORA XI. ANTEMERID.**

PIE RECOLENDAM

OBSERVANTISSIME

INVITAT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG 1789-1866

SERENISSIM. PRINCIPIBUS RUTHEN. A CONSIL. SCHOL. GYMNASII DIRECTOR SOCIETAT. LATIN. JENENS. ET SOCIETAT. LITERAR. LUSATIC. SODALIS.

Observationum Particula XVIII. in qua proponitur nova de Carminis Horat. I, 1. versu paenultimo conjectura.

GERAE,

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

A quo nos incepto aliquoties jam desistere coegit necessitas huiusque generis scriptionibus publice praestituta brevitas, in eo nunc tertium de eadem re disserendi copia facta, non pergere modo, verum ad terminum propositum ita properare consilium est, ut si quos forte ejusdem argumenti commentationes duae priores nactae fuerint lectores intentiores, spe illi sua et exspectatione non plane frustrati sibi videantur, postrema hac totius disputationis parte perlecta et ponderata. In quo quidem verendum est, ne duae maxime res damno nobis fuerint graviusque a nonnullis judicium instet, primum, quod sententiarum propositarum series, quae esse debebat continua et adstricta, ipsis intervallis illis interpositis nimium relaxata est, ne dicam discissa plane atque divulsa. Deinde, quum tota haec disputatio in conjectando versetur, periculum est, ne licentius egisse videamur ac speciosa magis reque inania protulisse, quam vera et valida argumenta. Verum hac certe ex culpa eximet nos virorum illorum doctorum judicium, quibus animum nos sedatum admodum et moderatum in omni, qua adhuc usi sumus sive asserendi, sive refellendi ratione approbasse confidimus; tum ipsa ars illa et disciplina, quam colimus quamque servamus, non modo id nobis veniae dat, verum etiam efflagitat, ut quod Cicero olim ab Academia sua datum sibi praedicat, idem nobis concessum esse putemus, ut quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere. Quapropter ne nos quidem quae de carminis Horatiani I, 1. consilio et argumento cogitando et meditando assecuti eramus, quamquam diversa illa et discrepantia a vulgari opinione, in publicum proferre virorumque eruditorum judicio permittere dubitavimus; immo firmiore etiam animo et erectiore causam dubiam sane et ancipitem suscipere posse credebamus, quo plures et graviores ante nos exstiterant diversae ac novae sententiae tuendae auctores. In his Eichstadium facem nobis praetulisse quum prius grata mente memoravimus, tum summum virum a nobis, ea quam adhuc proposuimus argumentatione accuratius cognita et perspecta, non prorsus dissentire, non sine magna animi voluptate comperimus. Est enim illius viri tanta non solum apud nos auctoritas, verum ad omnes, quicunque Latinarum literarum studium integrum et incolume servari cupiunt, quibusque religioni est ab institutis majorum temere recedere 1), ut vesti-

1) Haec ita a me dicta et judicata accipiant velim aequi lectores, ut, quum bene noverim teneamque, Viro Praeclarissimo nihil a mea suffragatione laudis atque honoris accedere, cognoscatur tamen ac palam fiat animi mei sensus, et quantum me non commoverit, sed perculerit praeproperus ille multorum plausus atque adsensus, quo tanquam bonum futurae felicitatis omen acceptum esse legimus et comperimus, quidquid ad detrectandum inque invidiam vocandum Latini sermonis usum ore ac literis declamitarunt prodideruntve nostri aevi praecones. Qui adversariorum quo tendant conatus, quo ex fonte promanent tam asperae et acerbae criminationes, cur

giis ejus in vero indagando insistere ejusque in argumentando exemplum aemulari non modo laudis ac decoris habeat plurimum, verum et moderationis existimationem insequenti cuique conciliare videatur. Quae autem de carmine illo Horatiano deque versu ejus paenultimo orta motaque sit controversia, quae et quanta variarum sententiarum inter se repugnantia sit, haec aliaque eodem spectantia quum neminem fugiunt eorum, quos sive studium sive honestum otium sive elegantioris disciplinae et institutionis ratio vel ad Horatium deduxit, vel in grata et jucunda ejus familiaritate retinuit, tum ista omnia, vel tironibus lectu et intellectu perquam utilia, breviter, sed plane et perspicue exposita et enarrata leguntur apud Lübkerum p. 30. sq. Quocirca supervacaneum quiddam fecisse putaremus, si quae accuratius et pressius a nobis dici nequeant, quam a Lübkero factum esse videbunt, quicunque eum adire voluerint, repetere ac retractare conaremur et demonstrare, unde acciderit, ut quae de carminis Horatiani I, 1. integritate deque ea, quae quum in quolibet optimi poetae, tum in primo maxime carmine desideratur absolutione et perfectione, tam diu inhaeserit mentibus opinio infixa quasi et inveterata, subito ac veluti ex inopinato impugnata sit et labefactata. Fieri autem fere solet, ut si qua cui forte suspicio suborta est aut aliunde injecta, latius mox ea serpat plusque in dies incrementi capiat tum ab ipsa veri investigandi cupiditate acrius incensa, tum a generoso quodam cum alterutra partium disceptantium paciscendi studio, quo ingenuus quisque homo et liberaliter educatus facile agi ferrique se patitur. Itaque justam excusationem, si qua nobis opus est, petere licebit tum ab illorum virorum auctoritate, qui rem vix ante a quoquam addubitatam in dicendi controversiam vocarunt, tum ab interpretis cujusque diligentis officio, denique a grammaticae artis legibus atque praeceptis, quae id maxime cavere ac providere promptissimum quemque jubent, ne vim verbis inferat, neve auctoris sententias ad suam ipsius opinionem quamvis speciosam ac probabilem detorqueat violenter. A qua tamen lege quum ab ipsa ratione praescripta, tum constanti nobilissimorum interpretum usu sancita adeo ex recentioribus quosdam aberrasse conqueritur Orellius ad Horat. Carm. III, 30. 12. ut praeter Dillenburgerum et Lübkerum plerique omnes, qui novissime Horatio explicando operam dederint, lubidini multo plus saepiusque indulsisse ei videantur quam proprietatem sermonis verborumque notiones ac sententiarum tum gravitatem, tum nexum ita, uti oportebat, respexisse. Protulit autem vir clarissimus inque lucem protraxit talium errorum sat multa exempla: quae si quis comparaverit cum ea interpretandi ratione, quam ipse secutus est atque constanter tenuit, cumque ea diligentia et cura, qua ille in rem propositam incubuit, negare non poterit, eximiam sane a viro praestantissimo ad perfectam illam et absolutam interpretis virtutem factam esse progressionem.

Verum, ut oratio nostra ad id se convertat, quod nobis nunc constitutum est, non ab re esse credimus, breviter jam exponere, quae totius disputationis a nobis adhuc institutae ratio fuerit, quo argumentationis summa redierit, denique qui status causae sit, quam nobis ipsi sumpsimus peragendam. In disceptationem quaestionemque quum esset nuper vocatum id, de quo nemo antea dubitaverat, num carmen primum Horatianum, Maecenati vulgo inscriptum, eo consilio ab optimo poeta compositum fuerit, ut variorum negotiorum ac studiorum, quibus homines pro sua quisque sive lubidine sive natura et indole delectantur voluptatemque quaerunt, lepida ac festiva descriptio-

tanta iisdem quondam literis viris imbutis in linguam Latinam ira exarserit et indignatio, suspicari facilius est, quam excusare. Unum est, quod nescio an multi mecum doleant ac deplorent, quod mala ista et iniqua existimatione latius propagata atque ipsis adeo discordantium inter se philologorum sermonibus in vulgus emanantibus, plus in dies detrahitur de auctoritate et dignitate institutionis publicae, qualem quum a majoribus traditam, tum hac nostra aetate multis partibus adauctam ac publicis privatisque curis emendatam religiose colere atque tueri semper in praecipua officii parte posuere Gymnasiorum magistri. Quae quum ita se habeant, quis est, qui nobis invideat voluptatem, quam ex Oratione cepimus nuper a Cl. Eichstadio de Finibus sermonis Latini in usu Academico regundis in publicum edita, qua ille et litigantium animos componere et nonnulla adversariorum argumenta confutare studuit. Habita illa est Jenae in Panegyri Academica d. XXIX. m. Aug. 1846.

ne praemissa, suam in carminibus pangendis inque poetica arte colenda operam collocatam non modo excuset, verum summum vitae bonum summumque virtutis suae praemium adepturum se esse profiteatur poeta, si opera sua in divina arte posita Maecenati, fautori suo atque patrono, approbata fuerit: fieri non poterat, quin et nos animum attenderemus ad rem palam exagitatam. Itaque quum nostri judicii eam esse putabamus, quumque semper honestius multo potiusque existimavimus, suis quemque oculis cernere suaeque mentis vi atque sollertia quid verum falsumve sit, disquirere, quam alienae auctoritati vel temere vel segniter concedere: utrarumque partium rationes et argumenta inter se conferre et aequabili libra, quoad id esset nostrae facultatis, ponderare optimum factu visum est. In qua quidem inquisitione quum haec praecipue spectari necesse esset, quae Maecenatem inter atque Horatium intercesserit consuetudinis et familiaritatis ratio, quae et qualis poetae de sua ipsius laude atque virtute disertis verbis expressa sit opinio, quae Maecenatis in artibus liberalibus aestumandis auctoritas, denique quae totius carminis compositio singularumque sententiarum inter se copulatio: diligentior harum rerum contemplatio eo nos deduxit, ut ad partes accederemus eorum virorum doctorum, qui versum carminis primi paenultimum salva totius poematis indole atque natura ad Maecenatem referri posse negant. Cui sententiae etsi plerique interpretum adversantur, id tamen veniae pro se quisque impetrabit, ut contendere liceat palamque profiteri, versibus illis duobus extremis Horatium non modo *exsultim*, (III, 11, 10.) sed per saltum egisse, quum nemo non sentiat, subitum illum per tot ambages tamque multiplicem rerum et exemplorum varietatem ad Maecenatem reditum fieri non debuisse, nisi voce aliqua velut praenuncia edita, qua post tam longam ab incepto digressionem factam ad principium se reverti indicaret poeta. Quam quidem poëmatis labem quum ex prioribus interpretibus aegre tulissent nonnulli ac claudicare sub exitu carmen sensissent, eo deducti sunt, ut versu 29. pro ***Me*** substitui vellent ***Te***, totumque carminis locum ad Maecenatem referri convenientius et ad rem accommodatius esse statuerent, quo scilicet, id enim simul isto tentamine facto assequi eos voluisse credibile est, facilior esset et commodior ad poetae personam transitus. De qua virorum quorundam doctorum conjectura breviter disputavit Orellius in Excursu II., copiosius retulit Lübker. p. 21. sqq. At nos nunc missam eam facere satius habemus, quam in ea refutanda diutius morari, praesertim quum ad eam refellendam vix novi quidquam a nobis adferri possit subsidii aut argumenti. Referre potius nostri nunc est officii, quam viam ingressi simus in causa illa difficili sane et implicata expedienda, et quo nos meditatio nostra deduxerit, a quo inde tempore virorum doctorum de carminis I, 1. versu paenultimo iniquius judicantium sententias legendo vel audiendo percepimus. Fieri autem vix aliter potuit, quam ut, semel data aut sumpta conjectandi ac divinandi copia et potestate, tantum nobis arrogaremus sive libertatis sive licentiae, quantum cuique fere criticam artem sectanti aut exercenti dari concedique solet. Scilicet audendum erat aliquid, siquidem divinantibus et conjectantibus cum pictoribus et poetis juris quaedam communio est: quod quale sit, Horatius A. P. v. 9. docuit. Ergo immutandi etiam data esse videbatur potestas et novi aliquid fingendi aut substituendi, dummodo ne prodigiosi quid inde existeret aut absoni atque absurdi, neve dum leniter immutasse aliquid tibimet ipse visus fueris, mixta omnia et subversa aliis appareant. De locis autem veterum scriptorum sanandis si quando inciderit deliberatio, faciliorem multo et commodiorem esse de medela facienda consultationem constat, ubi scripturarum et lectionis varietas eligendi aut secernendi facultatem dederit. Sunt enim quasi membra disjecta, quae in unum corpus denuo colligas; artus quasi dissecti, quos suis quemque locis adaptes et adnectas: indiciis certe non plane destitutum te senties et signis, ex quibus conjectura aliqua probabilis facile fiat. At, ubi omnia sana primo certe adspectu comparent, eaque verborum reperitur continuatio arctaque copulatio, ut divelli aut transponi nihil quidquam nisi per vim et impetum possit, omnino, ubi omnia leni et composita oratione procedunt: ibi si quis quid immutare aut corrigere tentarit, ne ex ejusmodi periculo facto levitatis aut nimiae cujusdam audaciae suspicio in illo resideat, metuendum est. Sed quum nobis meditatione facta reque diligentius considerata persuasio exstitisset haec, versum illum, de quo dictum est, quum Maecenatis, tum Horatii personae parum convenire senten-

tiamque continere a proxime antecedentibus abscissam animumque lectoris subito atque ex improviso ad principium retro vertentem, circumspiciendum esse putabamus, qua ratione omnis de illo versu hic illic exorta dubitatio tolli atque sententia illa, quae nonnullis abrupta et importuna haud immerito visa est, cum prioribus apte et commode connecti et concinnari queat. Talem autem reperimus non unam, sed triplicem, eamque satis commodam et quae vel a facilitate aliquantulum habeat commendationis. Et triplicem quidem quum diximus patere viam et rationem, non adeo animum oculosque nobis praestrinxit conjectandi cupiditas, ut non unam veriorem et probabiliorem esse statuamus reliquis duabus; immo tertiam, quam numeravimus, animi potius causa, quam quod eam magni faciamus, verbo significasse satis erit.

Atqui ea, de qua diximus, conjectandi licentia tam modeste usi sumus, ut una tantum litera immutata legendum esse censeamus: Quod si me — inserit, pro vulgato inseris. Levis quidem ista est mutatio et correctio, inquiet hic fortasse aliquis, sed quum nullum prorsus mendi in verbo illo a librario aliquo oscitante admissi vestigium, neque ullum unquam in libris manu scriptis variantis scripturae indicium in extrema verbi illius litera detegatur, non procul sum, quin rationem istam violentam et importunam esse censeam. — Nolumus repugnare: ipsa enim facti conscientia nos redargueret, si quod audacius a nobis tentatum usurpatumque esse sentimus, optimo jure factum esse contenderemus. Neque enim libere et ingenue fateri nos pudet, omnem causae nostrae tuendae ac defendendae spem ad irritum cecidisse, si venia illa, quam petimus, quaque in tertia persona substituenda usi sumus, nobis publice fuerit denegata. Verum tamen, ne eam temere ac nulla plane ratione adhibita antecepisse videamur, breviter exponemus, quae nos commoverint, ut ab artis criticae legibus, quae literas scriptas codicumque auctoritate firmatas tueri neque nisi extrema necessitate urgente mutare aut delere nos jubent, aliquantum discesserimus. Primum enim ipsa illa literarum sibilantium vicinitas, (inseris-sublimi) quarum altera verbi antecedentis postrema, altera subsequentis vocabuli prima est, suspicandi copiam facere videbatur, accidere potuisse, ut se invicem literae illae sono attraxerint, sic, ut quum a prima manu scriptum esset *inserit*, litera tenuis legendo et pronunciando in sibilantem conversa fuerit et immutata. Tales autem commutationes tum maxime accidisse, quum veterum scriptorum libri ita multiplicabantur, ut quae ab uno dictarentur, a pluribus calamo exciperentur, quum inter omnes constat, tum multa in singulis vocibus et literis commissa vitia aliter nec detegi nec corrigi posse exempla docent, nisi ex falsa et praepropera pronunciatione, quae esse poterat, indiciis assumptis. Verum hanc rationem in eo loco, de quo nunc quaerimus, minoris esse momenti lubenter concedimus; alia suppetit, eaque gravior, ex intempestiva Grammaticorum sedulitate petita. Etenim quis nescit, quam praepostera saepe illorum fuerit in nominibus clarorum virorum carminibus Horatianis praefigendis cura et diligentia, quam saepe non re, sed sua quisque opinione ducti verba et vocabula immutaverint? Quae quum ita sint, nihil erat, quod prohibere videretur, quominus poneremus Grammaticorum aliquem, quod sibi persuasisset, primum carmen Horatianum eo animo et consilio ab auctore compositum et ad Maecenatem missum esse, ut digna et exoptata virtuti suae praemia a patrono atque fautore splendidissimo conciliet, extremam totius poematis clausulam vi sua et gravitate plane destitutam et orbatam fore putasse, nisi ad judicium Maecenatis provocaverit ejusque testimonium imploraverit poeta idque factum plane et perspicue sub exitu carminis repetita allocutione declaraverit.

Sed jam porro procedere decet ac demonstrare, quid ex concessis necessario consequi nobis visum sit. Nihil aliud est, nisi triplex illa ratio vel formula, de qua supra memoratum est, ad quam versum illum componi et accommodari posse censuimus. Primum quidem facillima loci interpretandi ratio meditantibus nobis sponte sese obtulit haec, ut verbum *inserit*, quod ab Horatii manu scriptum esse bona fide credimus, referatur ad Polyhymniam, quam proximo ante loco nominavit poeta. Altera via, quo nos detulit tacita cogitatio, ipsa novitatis specie animum adeo alliciebat, ut eam persequi non dubitaremus; ea est, qua particulam conditionalem, quae vulgo esse putatur *quodsi*, in duas partes dissolutam ac vocabula divise ab auctore scripta et separatim po-

sita esse statuimus: ex quo efficitur illud, quod novum et insolens quiddam plerisque videbitur, ut *quod*, quippe Pronominis relativi vi ac potestate indutum, cum ***Lesboo barbito*** conjunctum et copulatum existimandum sit. Qua interpretandi ratione assumpta quot et quantis difficultatibus ultro nosmet ipsi implicaverimus, quamque verendum sit, ne inextricabilibus paene erroribus irretiti teneamur, quamvis animo sentiamus, tamen ipse operis absolvendi labor ad vires intendendas animumque corroborandum plurimum valet. Itaque in hac ratione defendenda vel maxime operam nostram collocabimus. Postremo in tertiam aliquam loci expediendi rationem nos incidisse ideo referre non piget, quod haud inutile esse putamus, tironibus certe, videre, quo sua quemque sive comminiscendi sive obscura et recondita detegendi cupido deferat et abripiat. Nimirum, quum semel conjectandi periculum a nobis factum esset, latiusque exspatiandi veluti campus pateret, eo usque argumentando progressos nos esse fatemur, ut de auctoritate vocabuli *quod* dubitaremus, nescientes, an forte aliquis substituere malit *quo*. In qua cogitationum variatione id unum manifestum nobis factum est, illam quasi triformem conjecturam, si in utramque partem disputandi materies proponenda esset, sat amplam disserendi copiam praebituram esse.

Sed tempus est singula diligentius perlustrare, atque tum verborum significatu, tum rerum sententiarumque nexu accuratius exposito et explanato argumentationis nostrae causas et rationes colligere atque ante oculos aequis lectoribus ad dijudicandum proponere. Et initium quidem facere liceat a particula *quodsi*, a qua versus ille paenultimus incipere vulgo creditur. Ac fuere haud pauci interpretes, qui in hac particula, tanquam prosae orationi multo plus conveniente, quam poeticae, aliquantum offenderent. Verum acquiescere nos jubent in consuetudine poetis Latinis recepta multa hujus particulae ita in poematis usurpatae exempla, neque gravandi aut mirandi justa aliqua causa subest, si quando Horatius quantumvis alto spiritu sumpto ad pedestrem orationem subito deciderit: talem enim animi remissionem, quam vocare licet, haud pauci produnt ostenduntque loci.2) Illam autem particulam, de qua nunc quaerimus, Dillenburgerus decies septies apud Horatium legisse se affirmat; singulis tamen locis, in quibus eadem illa particula usus sit poeta, non indicatis. At nos, ne muneri sponte suscepto defuisse videremur, in perlegendo Horatio non taeduit notare poematum Horatianorum versus, in quibus particula *quodsi* posita reperitur. Videbunt autem lectores, nostram rationem cum Dillenburgeri computatione ita constare, ut numerus ille denarius septenarius expleatur. Sunt autem loci a nobis adnotati atque inter se accuratius collati hi: Carm. I, 24, 13. III, 1, 41. Epod. 2, 39. Epod. 10, 21. 11, 15. Sat. II, 4, 6. Epist. I, 1, 70. I, 2, 70. I, 3, 25. I, 7, 10. ibid. v. 25. I, 9, 11. I, 19, 17. I, 20, 9. II, 1, 90. ib. v. 201.

Jam vero, si quis quaerat, quid hac exemplorum congesta mole efficiatur, primum monendum est, similium locorum copiam interdum esse pro lege, diligentissimo cuique interpreti colenda et observanda. Deinde talis rerum minutarum perscrutatio saepe ad errores, in quos unum et alterum incidisse videmus, coarguendos idonea subsidia suppeditat.3) Denique ad causam nostram tuendam magni momenti erit nosse atque compertum habere, quam rationem Horatius in particula

---

2) Eodem loco et numero, quo particulam *quodsi*, habendum esse censemus ejusdem familiae vocabulum *atqui*, cujus usus apud Horatium non infrequens est. Cfr. Od. III, 5, 49. 7, 9. Epod. 5, 67. Neque immerito ad idem dicendi genus referas id, quod legitur Od. II, 8, 17. *Adde quod* etc. Quin etiam his adnumerare possis crebram Pronominis relativi repetitionem, cujus innumerabilia prostant exempla. Denique contulisse juvabit, quae Orellius ad Od. III, 4, v. 70. de usu vocabuli *sententiarum* parum eleganter positi, retulit.

3) Tali in errore versatum esse Reisigium, virum et ingenii acumine et eximia doctrinae copia inter aequales praecellentem, quis non miretur? Cujus in Commentariis ad Institutionem Grammaticae Latinae spectantibus, post praematurum et lamentabilem auctoris obitum a Frider. Haasio in publicum editis et docta ac copiosa adnotatione locupletatis, de particula *quodsi* haec ab illo tradita legimus: *Quodsi, und wenn, findet sich bei Virgil nur selten; bei Horaz nur ein Mal*, Od. I, 24, 13. *Nämlich das sorgfältige Anreihen an das Vorhergehende und das demonstrirende Weiterschliessen, was in diesem quod liegt, ist gänzlich unpoetisch.* Cfr. *Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft S. 367.*

illa adhibenda secutus sit, et utrum sibi in ejus usu constiterit, an variaverit. Reperient autem lectores, qui ejusmodi percontationes non plane fastidiunt, Horatium particulam *quodsi* tum maxime posuisse, ubi vel singulare aliquod exemplum, vel graviorem aliquam conditionem atque sententiam orationi antecedenti ita adnectere voluerit, ut, dum in eodem genere inque eodem argumento tractando manserit ac firmo quasi pede constiterit, altius tamen assurgere atque conditionis positae formam ac speciem amplificare videretur. Est itaque nostra hujus particulae notatio praecipue haec, primum ut eam non orationi modo, verum etiam exemplorum et conditionum proponendarum seriei continuandae inserviisse statuamus; deinde ut ei intendendi atque cumulum quendam argumentationi addendi vim tribuamus.4) Quae haud dubie causa fuit, quod hanc particulam simili fere modo, quo in primo carmine factum esse vulgo creditur, tanquam in clausula ab Horatio hic illic positam reperimus, velut Epist. I, 2. extr. coll. I, 9. extr. Item particulam ab initio enunciationis modo ita collocatam videbis, ut protasis pluribus composita sequatur membris velut Od. I, 24, 13. III, 1, 41. sqq. Epod. 2, 39. sqq. modo enunciationem ea inducit inchoatque nudam et simplicem, velut Satir. II, 4, 6. Epist. I, 7, 10. 25. I, 20, 9. II, 1, 90. atque sicubi in clausula posita est. Quae omnia si quis secum reputaverit, facile eum eo adduci posse crediderim, ut particulam illam etiam versu Carminis I, 1. paenultimo locum suum optimo jure tenere neque in ea amovenda aut immutanda quidquam tentari debere sibi persuadeat, nisi ipsa illa lege et consuetudine dicendi, quam apud Horatium valere diximus, laesa et violata. Verum tamen intentius considerantibus nobis ipsa argumentandi ratio, quam Horatius in peroratione carminis secutus est, vel maxime impedimento esse videbatur, quominus *quodsi* particulae vicem hoc loco obtinere cum plerisque interpretibus crederemus, ne tum quidem, si tota poetae sententia per conditionem expressa ad Polyhymniam Musam referatur. Ad Maecenatem vero qui orationem subito reverti statuunt, quantumvis licet haec opinio vel a vetustate habeat commendationis, aegre tamen a se impetrabunt, ut suo quasi alveo orationem contineri sibi persuadeant; quippe Maecenatis personam subito reductam a tabula suavissimarum imaginum naturali quodam propinquitatis vinculo inter se conjunctarum referta procul distare, vix quisquam erit, qui non tacito saltem adsensu confiteatur. Multo, si quid recte sentimus, tolerabilius foret, si Horatius hoc animi sui votum, quod tanquam summum sub exitu carminis pronunciavit, coram lectore quolibet erudito fecisset, quemadmodum saepe secunda personae specie ac forma universi compellantur, velut Od. I, 24, 13. Verum quum primum hoc carmen ad Maecenatem missum esse negari nequeat, nisi primis duobus versibus per vim abjectis, ea autem, quae versu paenultimo contineri vulgo putatur ad Maecenatem a poeta facta provocatio, tanquam ad brabeutam aliquem Musis, ante appellatis, excelsiorem et potentiorem, prorsus abhorreat a verecundia et pudore, quos animi sensus nunquam deposuisse Horatium novimus; porro quum particulae *quodsi* id proprium esse exempla ostendant, ut ad altius quiddam procedere jubeat orationem, quumque ab elatiore dicendi genere atque amoena imaginum varietate intempestiva versu illo paenultimo descensio fiat ad sermonis vulgaris tenuitatem, eoque animus tanquam horrore perfusus subito refrigescat: non est, cur rationem eam excusemus, qua ex hac tanta animi fluctuatione in tutum quasi nos recipere tentavimus. Ratio autem, quam rei expediendae facillimam esse nobis persuasimus, haec est, ut *quod* referendum esse censeamus ad vocem ***barbiton***: quod quidem vocabulum etiamsi ab Horatio Od. I, 32, 4. tanquam masculini

---

4) De singulari particulae *quodsi* in adnectendis enunciationibus atque sententiis Maurit. *Seyffert* ad Ciceronis Laelium p. 150; adnotavit haec: *Die Verbindung der Gedanken durch quodsi haben wir uns hier* (VII, §. 23.) *mit einem verallgemeinernden überhaupt zu ermitteln, Fortschritt vom Besondern zum Allgemeinen oder Höhern.* Cfr. ibid. p. 233. et Schmid ad Horat. Epist. I, 7, 94. p. 202. Imprimis lectu digna nobis visa sunt, quae *Jul. Mützell* de eadem re docte et subtiliter disseruit ad Curtium ab ipso splendide et eleganter editum p. 427. A cujus tamen sententia ita discrepamus, ut si ad tironum intellectum ratio nostra adaptanda foret, eam sic fere definiremus: *Quodsi = wenn nun, d. i. mit Bezug und Rücksicht auf das Gesagte oder Gesetzte.*“ Etenim *quod respicientis* est, non *prospicientis*.

generis, (Barbite) usurpatum est, altero enim loco, Od. III, 26, 4. in ancipiti relictum est, utrius generis vocem esse voluerit poeta, nostro tamen loco quin pro neutro habendum sit, eo minus dubitamus, quod, nisi forte aurium sensu decipimur, neutrius generis formae, Graecis haud raro usurpatae, cfr. Stephani Thesaur. s. h. v. aliquanto plus ponderis ac gravitatis inesse videtur: quo nihil esse potest huic loco convenientius, praesertim quum antecesserit tibiarum commemoratio, quas multo habiliores faciliores que tractatu fuisse levioribusque carminibus magis accommodatas, quum ex nomine et persona Euterpes, tum ex gradatione sententiarum colligere licet. Fingamus itaque poetam, qualem semet ipse descripsit, atque ea rerum suarum conditione laetantem, qua vitae suae felicitatem contineri ipsa orationis suavitate verborumque elegantia declarat. Quis enim non sentit, quam apte, Euterpe ne tibias *cohibeat*, quam verecunde, Polyhymnia ne *refugiat* tendere barbiton, poeta optaverit? Scilicet *cohibere* solent aut parcius dona praebentes aut alienam cupiditatem refrenantes; *refugere* dicimus eos, qui alterius cujusdam societatem ac familiaritatem respuunt ac dedignantur. Atqui non sufficiebat poetae Polyhymniam sibi conciliasse eamque in Lesboo barbito tendendo adjutricem nactum esse: id potius ipsi appetendum erat inque eo enitendum, ut per Alcaei Sapphicamque lyram perque Aeolium carmen lyricae artis palmam mereret: idque virtutis praemium non Maecenati, sed *barbito* illi *Lesboo*, quod Romanorum poetarum primus non sine anxia quadam animi trepidatione tractare ausus erat, acceptum se referre velle ingenue declarat.

Sed haec hactenus: quae restant, sunt autem nonnulla, in proximum tempus rejicienda sunt. Interim si quae a nobis disputata sunt, aliquam studii impensi laudem ferent, perquam id gratum nobis eveniet; sin secus acciderit, ne id quidem praeter spem, quippe modicam et modestam, nobis continget.

Superest, ut ad **Sollemnia Schüssleriana,** crastino die in Gymnasio ea, qua decet, pietate celebranda *Inspectores Amplissimos*, *Civitatis Nostrae Magistratus* ac *Proceres Gravissimos*, rerum nostrarum *Fautores Humanissimos* omni qua par est observantia invitemus. Recolet autem memoriam beati **Schüssleri** primae classis discipulus,

Robertus Schmidt, Geranus,

debitasque pro beneficiis ex testamento Clarissimi Viri publice in se collatis gratias persolvere conabitur oratione Latina, qua

honestum magnorum virorum otium, quod et quale fuerit ex sententia Romanorum, descripturus est.

Scrips. **Gerae,** d. XXIX. m. Novembr. MDCCCXLVI.